









1715

\*

1. Bornius, Lazarus : Programme, quo ordinarius, suorum  
et reliqui doctores pro. iur. ad memoriam . . .

Zacchi: Bornii . . . oratione . . . recolendam.

. . . instant.

2.<sup>nd</sup> Barthius, Galluspius : De emancipatione Sexonie.  
2 fasci.

3. Barthius, Galluspius : De comminatione vel posse  
confessi et cuncti, nec non recogniti.

4. Bohn, Jakob Gottlieb : Imperium familiariae patris  
non vero matris Competens.

5. Pinner, Gottlieb Michael : Determines, a quo usus  
practici tardius soluti currant.

6. Dahendorffius, Christian : De iurisdictione  
civiliis, quatenus magistratus municipalis  
est in specie herapoltano competat.

1715.

7. Freytag, Frideric. Graecis : De Alexander M.

Corniger.

8. Frick, Heinrich Augustus : De coccis cruditis

9. Friess, Fridericus : De bonorum possessione  
unde vir et uxor

10. Hiltiger, Sigismund Gottlieb : Programm, quo ad re-  
lacionem ab professionem ord. - demandataum  
- - - instat.

11. Hiltigerus, Sigism. Gottlieb : De foro Clerici. Delim.  
Quenches. 2 Bampf. 1715-? 1736.

12. Hiltiger, Sigismund Gottlieb : De pecunia statu,  
potestu et credita ex 1.12.811. D. mandati.

13. Happmann, Christianus Gottfridus : De fatis studii  
politicis presortim in academiis et de ingredi-  
tibus quibusdam circa mundus respectibus

1715

14. Taci  
ma

15. Hilt  
dolo  
fin

16. Key  
usm

17. Han  
Ran

18. May  
ma  
fin

19. May  
Pr  
ga  
Z

- 1715  
14. Taint, Lachus Antonius: *Nc fide uxoris erga  
maritum.*
5. Hig. Paul Grupel: *De falso laudante ex  
dolo convenientio occasione 1.8 ff. &c del. mal-  
junct. Secv. Eclat. novis. XLII.*
6. Kreyl, Ioh. Christian: *Num herbae Nicotiana  
uxi, levigatae maculam contractat?*
7. Muellerus, Augustus Fridericus: *De phonum juris  
Romani non antiquo, non-usa holdem.*
18. Mylius, Ioh. Henr., Sac. ius pro cancellarius: *Progra-  
mma, quo actum sollempnem presentationis quatuor  
juris canonicatram (Iuris Leonardi Zulleri etc.)  
indicit.*
19. Mylius, Ioh. Henr., Sac. ius pro cancellarius: *Progra-  
mma, quo actum sollempnem promotionis  
quatuor iuris licentia etiam (Iuris Leonardi  
Zulleri etc) indicit*



1715

20. Meierius, Dr. Frider: De exceptione ius tortis

concurrente

21. Schackenus, Dr. Christopherus: De bonisibus globis  
adscriptis "Iustitia superioris"

22. Schackenus, Polycarpus Galliib: De anima rationali  
an id corporis vel tale principium?

23. Schackenus, Polycarpus Galliib: De partibus corporis  
humani extensis

24. Schauberg, Corp. Friderici: De jure d'g: Forum

25. Schramm, Dr. Valentius: De votis et scriptis Fr. Henz

iii, patris.

26. Schubertii, Georgius Adolphus: De jure locundi vasal  
lorum.

27. Schubertii, Georgius Adolphus: De pederibus inequalities

28<sup>o</sup> Sommerlathius, Iacobus Fridericus: De credibili singula

re cuiusdam libri autoribus - 2 Scapl

29. Wagnerus, Georg Christian: De crudelis opisthium  
pannularium & suu suspectis

30. Zoller, Dr. Leopoldus: De investigatione poich' ant' heretici dominic  
in inuictissimam translatum residente. 2 Scapl. 1715 & 1716.

1715,17  
1081

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O JURIDICA  
*DE*  
**FICTIONUM**  
**JURIS ROMANI**  
**U S U A N T I Q U O,**  
**NON-USU HODIERNO,**

*QUAM*  
MAGNIFICI JCTORUM LIPSIENSIV ORDINIS  
CONSENSU

IN AUDITORIO JCTORUM  
AD D. VII. NOVEMBR. MDCCXV.

*PRÆSIDE*  
**DN. AUGUSTO FRIDERICO**  
**MÜLLERO,**  
PHILOS. ET JUR. UTR. DOCT.  
PLACIDÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SUBMITTIT  
*AUCTOR & RESPONDENS*  
**MATTH. HENR. LIEBEHERR,**  
PALÆO-SEDIN. POMERAN.

—  
—  
—

*LIPSIAE,*  
ST ANNO TITIANO.



Dissertatio Juridica

1610

FIGTIONUM  
IURIS ROMANI  
USU ANTIQVIO  
NON-HHN HODIERNO.

MAGNIFICI LECTORVM PISCIBVSNSVM ORDINIS  
CONVENTUS

IN ACADEMICO LECTORVM DI  
PLAUN MARCH 1610

DN AUGUSTO FREDERICO  
MULTERO.

THEATRIS ET ALIA ARTS DOCT

ELVICIDIS LIBIDORVM DISCERNITIONI  
SUMMITT

MATHIAS HENRICI LIBRARI  
ALIO-SCHOLI PORTARIA

ANNA  
OMNIA TITIA



*VIRO GENEROSISSIMO  
DOMINO  
FRIDERICO  
a LANGEN,  
DOMINO IN Uselik, Radevilk,  
Grinz, Sommerfeld, &c.  
REPUBLICÆ PALÆO SEDI-  
NENSIS CAMERARIO,  
AVO SUO  
EX LINEA MATERNA OMNI OBSERVANTIA  
PROSEQUENDO  
SPECIMEN HOC ACADEMICUM  
IN GRATI ANIMI TESSERAM  
ET FILIALIS OBSEQUII MONUMENTUM  
SACRUM ESSE CUPIT  
MATTH. HENR. LIEBEHERR.*



VIR GENEROSISSIME,

D O M I N O  
F R I D E R I C O

S T A N G E R N

D O M I N O U N D I S C I P U L I

R H I D E R I C E D I S C I P U L I

N E R N S C H A F T



*Am inde a multis  
annis quæsivi oc-  
casione, qua  
gratum animum  
meum, piumque  
erga TE affe-  
ctum, pro innumeris, quæ in me con-  
tulisti, beneficiis publice declararem.*

*Cum-*

Cumque nulla hactenus occurrerit,  
quæ præsenti fuerit commodior, læta  
manu eam arripui, probe gnarus,  
me omnia fere favori TUO ac bene-  
volentiae debere, eaque de causa ini-  
quum fore existimavi, TIBI, cui  
omnes studiorum meorum fructus  
consecrare debo, eorum primitias  
qualescumque non obtulisse. Fœcun-  
da ista tam Paterni amoris erga me  
Tui consideratio, ansam mihi suppedit-  
tare posset, in longum latumque,  
generosum TUUM animum de-  
prædicandi, campum excurrendi;  
quem nempe debit is laudibus celebrat  
tantus eorum numerus, qui vel ad in-  
citas antea iniquitate sortis redacti,  
in pristinum statum auxilio TUO re-  
stituti sunt; tantus iterum eorum,  
quos

quos ob bellum calamitatem terris suis ex-  
pulsos beneficio TUO ad aras & focos  
reduxisti. Ast vero sufficiat, horum  
saltem meminisse, ut pateat, quamgra-  
ta harmonia a civibus nostris merita  
TU A, a me vero & cæteris, qui san-  
guine TIBI devincti sumus, tanta  
paterni TUI erga nos affectus monu-  
menta concelebrentur. Vale. Da-  
bam e Museo in Alma Philurea d. 2.  
Nov. MDCCXV.



§. I.

Ulm antequam ex illustri hac Philyrea  
abirem, Dissertatione Academica stu-  
diis meis coronidem imponere juf-  
sus sim, & simul argumenti loco de-  
cantata inter JCtos de Fictionibus Ju-  
ris materia ab aliquo, quem meri-  
to suspicio, studiorum meorum Pa-  
tronu, commendata mihi fuerit;

perfectis variorum hac de re meditationibus, multitudine  
& varietate rerum obrutus, vereri primum cœpi, ut aliquid  
restet, quod tanta tot Vitorum partim eruditissimorum  
lagacitas dicendum mihi reliquerit, quod non dictum sit  
prius. Utut enim doctrinam Fictionum valde diffici-  
lem, intricatam, & confragosam esse, plurimos scripto-  
rum queri deprehenderem, & adeo longum latumque me-  
ditationi meæ patefactum iri campum tantisper considerem;  
mox tamen, ubi scripta JCtorum liberiori paululum vena  
philosophantium, manu animoque volvere cœpi, animum  
fere denuo abjeci, cum tanto judicii acumine, tanta facun-  
dia, vanas illarum difficultatum latebras detexisse illos cer-  
nere, ut non obstante dissono in diversa vocantium fremi-

A 2 tu,

tu, planam fucique leguleji expertem veritatem menti meæ affulgere sentirem.

§. II.

Nihilominus ubi postea perpendi, nullam quantumvis largam veritatum messem a Viris summis celebratam esse, quin semper meditaturis quædam non spernenda relictâ fuerint spicilegia, re prorsus infecta discedere inglorium esse duxi, præcipue cum considerarem, veritatis tantam tamque amœnam esse fœcunditatem, ut quantumvis uberes primi ejus inventores experti sint fructum & primitias & successus, non tamen usque adeo exhausta ejus perennitas deprehensa fuerit unquam, ut qui modo meditando indagare eam voluerit, ad vitem aliena saltē compilandi laborem se dejectum unquam senserit, cui quidem ii, qui propria meditatione desperata aliena lingere sputa amant, devovere & submittere scripturientes necesse habent.

§. III.

Rem itaque bono tandem animo aggressus, secundum regulas bonaꝝ methodi necessarium esse ante omnia judicabam, ut clare & distincte, quid per Fictionem Juris intelligi deberet, definiretur. Cumque eo fine autores meos Juridicos consulerem, varias quidem variorum multa lite ea de re secum iavicem concertantium inveniebam definitiones, nec parum ambiguum videbatur, quamnam inter illas mente deberem amplecti, ut dicerem, *Tu mibi sola places.* Terrebant me Javolenus & anceps autorum inter medias disceptationum angustias mussitantium rumor, quo invicem sibi obmurmurabant, *omnem definitionem in Jure Civili periculosam eff.*, l. 202. ff. de R. J. quo ipso nempe de veritatis (si qua in eodem figurantis certamine fuerit) Victoria desperabundi, receperunt canere, & ad amicabilem transactionem, re nempe in incerto

incerto relicta, sese componere videbantur. *Vid. Dissertat.*  
*de Fictionibus, sub praesidio Dn. JOH. SIBRANDI A. 1672. Rosto-*  
*chii habitam, Claff. 6.*

## §. IV.

Interim tamen plane penitus persuasus eram, de rei non satis definita, & adeo nec clare nec distincte intellecta veritate constare nullo modo posse. Unde concludebam, definitiones claras & distinctas in Jure Civili illis solummodo videri debere periculosa, qui metuere necesse habent, ne inde compagi doctrinarum male cohærentium, quam tamen sub obscuritatis & confusionis tenebris conservari e re sua ducunt, præsentissima immineat ruina. Sique maxime quis salvam vellet Javoleni, & ejus effati supra memorati, autoritatem, dicendum putabam, illum saltē loqui de definitionibus, vel si ita mavis, de regulis & axiomatibus mere probabilibus, ex hermenia legum paulo ambiguarum oriundis, quas forte pro definitionibus apodicticis venditare periculose sunt; vel forte de decisionibus casuum, quorum circumstantiae rem variare valde possunt; Ut ut & hoc ipsum & definiendi & decidendi periculum non tantum esse videretur, ut ideo rerum Juridicarum periti a definiendo & decidendo abstinere deberent, cum & ipsis meditationibus probabilibus, & decisionibus casuum, varietate circumstantiarum quantumvis ambiguorum, claritas sua & integritas constare possit, immo constare in Jure nostro quam maxime debeat, cum ex conceptibus vel plane non, vel vase & incerto definitis param solidum de justo & injusto sperandum sit judicium. Itaque sive ad rerum apodicticarum sive mere probabilium censem propositam mihi de Fictionibus Juris materiam referre quis vellet, me certe in vulgare illud obscurorum virorum a-sylum me recipere neutiquam debere existimabam.

Illo ergo periculi metu, quem Javolenus in Jure Civili definientibus incutere velle videbatur, profligato, id quidem certum esse judicavi, male & confuse Fictionem Juris ita a quibusdam definiri, quod sit *falsi pro vero assumptio*, cum ita Fictione Juris cum quovis & mendacio & errore sat aperte confundatur. Nec melior est illa, quando allegante SIBRANDO l.c. dicitur, *quod Fiction sit, in recerta, contrarie veritatis pro veritate assumptio*, cum loco unius veritatis aliam veritatem contrariam in re certa assumi posse, procul dubio contradictorie & inepte dicatur. Sane homines, qui omni parturiendi conatu haud alium, quam hujusmodi ingenii factum eniti potuerunt, non solum omnem definitionem, sed & omnem in universum meditandi conatum, periculosum sibi reputare jure suo debuerunt.

Melius utique se habere mihi videbatur communis Doctorum definitio, quæ, ut ut alii alias subinde verbis eam efferant, eo fere redit, quod *Fictione Juris sit commentum Juris Civilis, quo aequitatis gratia, ad legem aliquam inducendam, falsum pro vero assumitur, ita nempe, ut id contigisse dicatur, quod minime contigit, vel id non contigisse, quod contigit*. Quam tamen, & alias hujuscemodi definitiones, cum a Dn. TITIO, Praeceptore quandam meo post fata colendo, in *Dissertat. de Fictionum Romanarum natura & inconveniennate*, An. 1694. Lipsiae habita §. 30. rejici viderem, ex eo, quod fictionum necessitatem in Jure haud obscure adstruerent, dum nisum vitæ communis, justam causam, aequitatem, loquerentur, cum contra laudatus Dn. TITIUS Fictiones ultro & circa omnem necessitatem, immo stolidæ & inconvenie in Jus Romanum fuisse ingestas, palam contenderet, id ante omnia, ne

ne statim ab initio in ipsa Fictionum Juris definitione ab altera parte principium peterem, sedulo expendendum mihi esse videbatur.

### §. VII.

Qua quidem in re ut eo securius procederem, recessendum mihi esse ad prima Fictionum in Jure Romano cunabula merito arbitrabar, ut quando & qua ratione induiti fingere illius Juris Architecti coeperint, eo facilius cognoscere liceret. Illud enim diffiteri non possum, suspiciam mihi statim ab initio visam fuisse Dn. TITII hypothesin, citra ullam rationem impellentem fingi in Jure coepisse, statuentis, ita nempe, ut Juris veteris antistites veritates Juridicas, quibus obligationis civilis robur addendum erat, ultro & ex mera animi stultitia, ex falso potius & ficto quam ex verro, & quidem cum aperta fictionis professione, derivare maluerint. Etenim cum æquitatis gratia fictiones se introduxisse prosterentur Romani, *I. 19. pr. ff. de Capt. & Postlim.* mirum certe videbatur, quod illa ipsa æquitas, quæ ut jus aliquod mediante fictione introducerent ipos commovit, non in se & natura sua jam sufficiens fuerit visa, ad idem jus etiam sine fictione introducendum, quandoquidem veritas vel necessitas moralis, quæ cum æquitate conjuncta esse concipitur, & quæ adeo ad jus aliquod in civitate introducendum impellit, non majus a fictione robur aut augmentum foenerari potest, quam lux a tenebris.

### §. VIII.

Ast vero quoniam ad legem aliquam civilem in republi- ea inducendam imperium & potestas legislatoria procul dubio requiritur, quam quidem plebs Romana, ejectis regibus in statum democraticum præcepit, Patriciis concedere constanter recusavit. *arg. §. 4. J. de J. N. G. & C. certum est, so-*  
*lam*

Iam vel solidissime perspectam legis cuiusdam introducenda  
 æquitatem sufficere neutiquam Patriis potuisse ad eam civi-  
 lis obligationis robore muniendam. Unde quia per indu-  
 ctionem patet, quod si qua unquam vera occurrat Juris Ro-  
 mani fictio, illa semper eo collimet, ut mediante fictione ali-  
 qua in facto, legis cuiusdam intentata cum alia lege, populi  
 suffragio corroborata, extorqueatur convenientia; haud sane  
 difficulter inferri inde poterit, veram causam, quæ magistra-  
 tus Romanos ad fingendum primo compulit, non aliam fu-  
 isse, quam ut Juris cuiusdam novi, quod introducere molie-  
 bantur, cum legibus propriæ dictis qualemcunque vel infer-  
 rent convenientiam, vel certe hebetem plebis aciem fallerent  
 in perspicienda, si qua esset, utriusque repugnantia & con-  
 trarietate, ut nempe ita facilius & pacatiore animo novas in  
 rempubl. irreperere leges plebs pateretur. *Conf. Dn. THOMAS.*  
*de Nev. Jurispr. Rom. Ante- Justin. Lib. i. Cap. 7. Nev. 12.*

## §. IX.

Unde adeo appetat, definitionem Fictionum Juris  
 Romani clarius & plenius ita ponи posse, quod sint commenta  
 in facto, a magistratibus Romanis in Jure Civili supposita,  
 quibus mediantibus casus, sub legibus populi Romani natura  
 sua non comprehensos, sub illas leges trahere annisi sunt, quo  
 id, quod dictis casibus disponere in Republ. consultum esse  
 ducebant, salva legum Romanarum autoritate sancitum  
 esse, plebi in custodiendis legibus suis pervicaci vide-  
 retur.

## §. X.

Sic, ut exemplis rem illustremus, Romanis erat lex &  
 consuetudo antiqua, qua capti in bello servi fieri dicebantur.  
*§. 4. J. de Jur. Person.* Idque non solum si Romani quosdam  
 ex hostibus, sed etiam si hostes quosdam ex Romanis cape-  
 rent

rent l. 5. §. 2. l. 24. ff. de Capt. & postlim. Unde captus civis Romanus ab hostibus, & civitatem & libertatem amitterebat, ut adeo perderet jus patriæ potestatis, quia in sua potestate non poterat alium habere, qui non erat suæ potestatis, l. 21. ff. ad L. Jul. de Adult. ut testamentum facere non posset, §. fin. J. quib. non est perm. fac. testam. ut jura conjugalia civilia inter captivum & ejus uxorem solverentur, & consensu denuo reintegranda essent, l. 14. §. 1. ff. de capt. & postlim. quoniam ea jura saltem civibus Romanis competebant, pr. J. de Nupl. imo ut si uxor cum marito ab hostibus capta, ibidem ex marito enixa esset, maritus autem in captivitate moreretur, & postea filius cum matre sola ex captivitate reverteretur, filius quasi sine marito natus pro spurio haberetur. l. 25. ff. de Captiv. & postlim.

## §. XI.

Hic vero legum Romanarum rigor iniquus merito videbatur Magistratibus. Nam ut captos ab hostibus servos de Jure Gentium fieri, leges Romanæ inculcarent §. 4. J. de Jur. Person. illud tamen solummodo de servitute, in quam detrusi ingemiscere apud hostes cogebantur captivi Romani, intelligendum erat, idem vero eo extendere, ut etiam Romæ apud suos pro servis haberentur, & omnia adeo jura amitterent, aequitati Juris Gentium contrarium erat. Neque enim contradictionem implicat, ut quis in servitute sit apud hostes, apud suos autem jura libertatis & civitatis retineat, & per suos exerceat. SCHILTER. Exercitat. 50. §. 10. Hinc ergo ut huic rigori satis iniquo obveniretur, nec tamen legibus populi Romani vis fieri videretur, singebatur, si captivus in captivitate moreretur, illum decesse eo momento, quo in hostium potestatem perveniret, ut adeo ejus testamentum antea factum valeret, perinde ac si in hostium potestatem non venisset

set &c. quæ dicebatur Fictio L. Corneliae, §. fin. J. Quib.  
non est perm. fac. testam. l. 12 ff. Qui testam. fac. p. 12. HOT-  
TOM. de LL. Pop. Rom. ad L. Cornel. de Testamento. quando-  
quidem alias stricto Jure testamentum ejus, qui capit. demis-  
nitionem passus, in eo statu mortuus erat, irritum fieri dice-  
batur. §. 4. 5. 6. J. Quib. mod. testam. infirm. Sin vero capti-  
vus reversus ex captivitate fuisse, singebatur; captum in ci-  
vitate semper fuisse, ut adeo omnia pristina jura recipere, &  
quicquid v. g. medio tempore filius, tantisper sui juris factus;  
acquisiverit, capere jure pater posset §. 5. J. Quib. mod. J. P.  
P. S. l. pen. ff. de suis & legitim. hered. quæ dicebatur Fictio  
Postliminii.

## §. XII.

Atque adeo, ut fiat applicatio ad definitionem supra  
allatam, utraque & Postliminii & L. Corneliae fictio eo re-  
dit, quod sint commenta in facto, nam fictione L. Corne-  
lia fingitur, eum, qui captus apud hostes decessit, mortu-  
um esse eo momento, quo captus est; Et fictione Postliminii  
fingitur, eum, qui captus & postliminio reversus est, captum  
nunquam fuisse. His nempe commentis id efficiebant Ma-  
gistratus Romani, ut, cum suadente summa æquitate, sua ca-  
ptis in bello civibus jura quadantenus salva servanda esse ju-  
dicarent, hæc noviter statuta jura nihilominus legibus popu-  
li Romani, quibus jubentibus captus pro servo habendus es-  
serat, non contrariari, sed potius dictæ leges, non obstantibus  
novis his Juris Civilis supplementis, qualitercumque salvæ esse  
populo legum suarum tenaci viderentur. Nam uti ex una  
parte iniquum erat, illos qui vitam & sanguinem propatria  
effusuri castra secuti erant, quosque vinculis compeditos  
tenuerat bellicæ sortis dureties, loco præmiorum promeri-  
torum ingratæ patriæ poenis succumbere; Ita ex altera parte  
cavere

cavere nihilominus debebant Optimates Romani, ne leges antiquas quantumvis iniquas evidenter abrogaturi, immam-nem, quam s̄aepē non sine c̄ēde & sanguine experti erant, ple-bis rabiem in se concitarent.

## §. XIII.

Evidem non defuerunt, qui captos ab hostibus pro servis habendos esse, juste & Juri Gentium conformiter statutum penes Romanos fuisse contenderunt. Præcipue non sine delectatione quis legat deductionem BARTOLI DE SAXOFERATO, *Juris nempe nostrī ocelli*, prout salutatur in supra allata Dn. SIBRANDI *Disputat. de Fictionibus, in prefat. qui in Commentario super Institut. Juris Civilis, ad §. 5. Quib. mod. J.P.P.S. dictæ legis aquitatem adstruere nititur*, cujus verba, digna elegantia istorum temporum, sunt hæc: *Quæret alius, que equitas est ista, quod ille, qui captus sit ab hostibus, sit servus legis, que hic induxit induci pro hostibus? Et contra nos ita opponebat quidam nobilis laicus domino meo ipse dicebat. Et pro nobis contra hostes potest esseratio, quare captus ab hostibus servus singatur, quia Imperator potest dare legem hostibus si vellet, quia dominus totius mundi est L. Deprecatio. ff. ad L. Rhod. de jactu. Sed non sunt digni legibus, sicut de metrictice dicitur, quod non est dignum legum laqueis innodari, L. Quæ adulterium. C. ad L. Jul. de adult. Item et si de jure posset dare legem hostibus, quia de jure potest constituere, quod capti ab hostibus essent liberi, cum hostes de facto non servarent, & sic leges essent ludibrio, quod esse non debet L. Si Prætor. ff. de Judic. Ideo non constituit, quod capti ab hostibus erant liberi. Unde communis assensu imperatoris vel populi Romani, & hostium introducitum fuit, quod illi servi, & illi quos de suis caperemus, essent nostri. Si queras, quare voluit lex vel imperator, captum ab hostibus liberum, servum esse apud nos, licet apud*

hostes diceret ipsum servum esse? Dicendum, quod ex quo est servus hostium, si liber remanet, cum apud nos retinent bona sua, & ista bona essent hostium, & illa est ratio, quare captus tam apud nos, quam apud hostes haberetur pro servo.

## §. XIV.

Qui sententiam Bartoli nostri ex insula horum verborum inconcinnitate evolvere operæ pretium esse duxerit, non nisi nänias inibi latere, facile d'prehendet. Nam quod primo Bartolus contra nobilem illum suum laicum disputat, Imperatorem tanquam totius mundi dominum, dare quidem posse, si vellet, legem hostibus, ne nempe captos Romanos in servitatem raperent, ast esse eos, prout meretrices, legum istarum vinculis indignos; Et rursus, si maxime hujusmodi legibus eos dignaretur, de obedientia tamen eorum desperandum esse, atque adeo, dum Imperator captos ab hostibus liberos esse juberet, & contra hostes nihilominus de facto eos non servarent, §. 3. *J. de Jur. Personar.* leges sic fore ludibrio; ineptura sane est, & dignum, quod dupondii deridendum relinquatur. Quo censu etiam habendum, quando ex allatis ratiunculis, ex communi Imperatoris & hostium consensu introductum fuisse somniant, ut capti hostes apud Romanos, & capti Romani apud hostes, pro servis mutuo haberentur. Nec minus ludicrum est, quando postea veretur, ne si capti jura libertatis apud suos salva essent, & ita bona illi sua retinerent, ea bona (jure nempe servitutis) hostibus acquirantur, & exinde necessarium esse concludit, ut capti etiam apud suos pro servis haberentur. Quibus jam omnibus rite computatis, quis dubitet de epicrisi, quam Dn. TITIUS in supra citata *Dissertat. de Fictionum Romanarum natura & inconcinnitate.* §. 1. de hoc Bartolo, & ejus collegis ejusdem furfuris, suppelavit, Eos quidem subinde quedam de Fictionibus dixisse, esse tamen

*tamen eosdem e contrario saepe maximarum nugarum archiectos.*

## §. XV.

Ne autem forte quis putet, ea, quæ dicta sunt, in solis Postliminii & L. Corneliae fictionibus ita procedere, non piget, adhuc unum alterumque exemplum afferre. Sic quod traditionem fictam per brevem longamque manum, omnemque circa rerum alienationem Fictionum apparatum attinet, presupponendum est ex antiquitatum monumentis, duos in universum fuisse rerum mancipi (h. e. quæ in plena dominorum proprietate erant) alienandarum Jure Quiritum comparatos modos, mancipationem, quoad res præcipue corporales, & cessionem in jure quoad incorporales. Res corporales non nisi præsentes mancipari poterant, &, si mobiles essent, non plures, quam quæ manu capi poterant, unde mancipatio dicta. Ritus autem mancipationis certis formulæ determinatus, iste erat, ut quinque testibus civibus Romanis puberibus præsentibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneret, qui vocabatur libripens, is, qui mancipio h. e. dominio rem accepturus erat, æs tenens ita diceret: *Hunc ego hominem ex Jure Quiritum meum esse dico, isque mibi emtus esto hoc ære æneaque libra.* Quo facto ære sefraudusculo, cui vocabatur, percutiebat libram, & æs dabat, a quo mancipium accipiebat, pretii loco.

## §. XVI.

Unde patet, antiquo Quiritum Jure in omni rerum corporalium alienatione ipsius rei præsentiam ad solennem apprehensionis actum necessariam, & adeo alienationem rerum mobilium & solennem per manus traditionem unum idemque fuisse, quo factum est, ut in Jure Romano traditio subinde dicatur modus acquirendi dominium, §. 40. *J. de R.*

B 3

D. sicut

D. Sicut e contrario si res tradita esset absque mancipationis vel cessionis solennitatibus, accipientis ex Jure Quiritum haud siebat, nisi usucapione accedente id, quod traditioni deerat, suppleretur. vid. ULPIAN. Fragment. Tit. i. & 19. BARN. BRISSON. Select. ex Jur. Civil. Antiquit. Lib. I. Cap. 7. RÆVARD. ad LL. XII. Tabb. Cap. 16. Unde & intelligi potest, qua ratione dicatur l. 20. C. de Paet. Traditionibus & usucaptionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferri. conf. l. 50. ff. de R. V. l. 15. l. penult. C. Eod. l. 6. C. de hered. vel acto vend. Per traditionem enim procul dubio mancipationis actus intelligitur, quo ex Jure Quiritum res praesens cum solennitatibus supra memoratis tradi debebat; qui quippe traditionis ritus nisi factus, & res solo pacto, titulo quantumvis justo, privatum alienata fuisset, res non in dominio, sed solummodo in bonis habentis esse dicebatur, ubi quippe res non mancipio, sed usu tantum, a habente tenebatur, ita, ut ex Jure Quiritum non dominus esset, qui ita possideret, sed usum detentionemq; haberet, ad titulum autem dominii usucaptionis supplemento, uti dictum, tunc opus esset. vid. BRISSON. Select. ex Jur. Civ. Antiquit. Lib. 4. Cap. 1.

## §. XVII.

Erat itaque lex Romana proprie dicta h. e. jussus populi, dominia rerum non privata alienatione, quantumvis justa subefset causa seu titulus, sed solenni illa antiquitus introducta traditione, quæ mancipatio dicebatur, transferri & acquiri debere. Cujus rei effectus in ipsa Rei Vindicatione, quæ quippe dominium quis suum persequitur, usque adeo se excerebat, ut antiquitus, cum angustioribus adhuc Romanum Imperium finibus concluderetur, magistratus qui jurisdictioni præterant, una cum litigatoribus ex Jure, h.e. ex loco judicii, in fundum controversum, dicendarum vindiciarum causa,

causa, proficisci tenerentur, quo ibi manuum facta conser-  
tione, id est, apprehensione rei mutua certatim facta, quem  
suum esse fundum actor contendere, eundem contravindi-  
caret reus. GELL. Lib. 20. Cap. 9. RÆVARD. ad LL. XII.  
Tabb. Cap. 6. Eodem fundamento in rebus mobilibus nite-  
batur Actio ad exhibendum, qua adiungendus erat reus, ut rem  
vindicandam in Jure exhiberet, l. 1. l. 2. ff. *Ad exhibend.* quo  
actor re corporaliter apprehensa formulam suam recitare pos-  
set: *Ego hanc rem ex juro Quiritum meam esse ajo.* Quæ ipsa  
corporalis apprehensionis necessitas tanta erat, ut si reus rem,  
quam actor vindicabat, alii rei suæ junxisset, v. g. gemmam,  
quam actor vindicabat, annulo suo, eam separare, & ita ad  
solennem apprehensionis actum exhibere cogeretur, ad evi-  
tandum nempe pluspetitionis periculum l. 6. ff. *ad exhibi-*  
*bend.*

## §. XVIII.

Postea temporis magistratibus quandoque ad Juris Na-  
turalis simplicitatem inclinantibus, ea solennitatum & Juris  
formularii prolixitas molesta & supervacanea visa est. Un-  
de, ne nihilominus tale quid abrogando, legibus & consue-  
tudinibus, vel sola antiquitate sua populo probatis, vim in-  
ferre viderentur, introductæ sunt Fictiones aliquæ variæ a-  
etas imaginarii, antiquarum mancipacionum vindiciarum  
que speciem præ se ferentes, ad deliniendum novitatis, po-  
pulo semper suspectæ, odium. Sic cum Prætores, propagatis  
longe lateque Imperii Romani finibus, vindiciarum causa in  
locum controversum amplius proficisci gravarentur, intro-  
ductum est contra LL. XII. Tabb. ut Prætor non amplius una  
cum litigantibus ex Jure in locum controversum abiret, sed  
ut hi primo in Jure se invicem ad conserendum manus vo-  
garent, & deinde sibi in agrum controversum proficiscren-  
tur,

tur, indeque unam glebam in jus ad Prætorem afferrent, ut in illa gleba, tanquam in toto agro, vindiciarum ritum pergerent. GELL. Lib. 20. Cap. 9. Imo postea & ipsi litigantes in agrum, glebæ accersendæ causa, proficisci desierunt, ubi, ne novis institutis plane penitus aboleri sic videretur prisci judiciorum ordinis autoritas, profectiones fictæ & imaginariæ in locum verarum profectionum surrogatae sunt, ita, ut litigantes certam inire viam (imaginariam nempe) eandemque redire docerentur, præscripto cuivis suo, quod recitare in hoc actu imaginario deberet, carmine. Ita enim actor, autore CICERONE pro MUREN. reum compellabat: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, ego eum ex jure meum esse ago, inde ego te ex jure manu consertum voco.* Huic reus, tibicinis Latini modo (uti lepide Iudit Cicero) ita de-nuo occinere debebat: *Unde tu me ex jure manu conserrum vocasti, inde ego te revoco.* Tandem Prætor: *Utrisque superstitionibus presentibus, istam viam dico: Inite viam:* (præsto ad-erat sapiens, qui viam inire doceret.) *Redite viam;* (codeni duce redibant.) Unde pater, qua ratione priscus Vindicia-rum actus introductis Fictionibus celebratus fuerit, eo nem-pe solo fine, ut ne abrogata antiqua vindiciarum lex, qua ta-men sic vere a magistris abrogabatur, nec nova vindicia-rum lex, qua vere nova erat, populo videretur.

## §. XIX.

Idem itaque sentiendum de traditionibus fictis in ipsa rerum alienatione. Quando enim rem, quam mihi aliquis commodaverit, aut locaverit, aut apud me deposituerit, postea aut vendiderit mihi, aut donaverit, aut dotis nomine dederit, prisco mancipationis jure, ut dominium in me rite transfer-etur, reddere illi rem commodatam, locatam, depositam, de-bebam, ut mihi eam venditam denuo mancipio tradere pos-set;

set; Nec enim traditio ex causa inhabili antea facta, nec venditionis donationis dotis titulus, ad transferendum Quiratum jure dominium sufficiens erat, *I.3. §. 20. ff. de A. vel A. P.* sed si rem antea mihi commodatam depositam locatam, jam vero mihi venditam, soluto pretio statim retinuisse, res, ut supra dictum, non in dominio meo, sed tantum in bonis erat. Postea cum molestæ mancipiationis solennitates, per supra dicta, autore magistratu cessare sensim ceperint, redditio rei antea apud me depositæ vel mihi commodata aut locatae, subsecuta venditione, eo fine facta, ut mihi denuo mancipio traderetur, supervacanea, & sola voluntas domini ad dominium rei transferendum sufficiens visa est, *§. 43. f. de R. D.* Ubi quidem in honorem Juris antiqui interea fingeatur, me rem mihi antea commodatam aut locatam commodanti aut locanti reddidisse, eumque mihi canderi ex nova emtionis venditionis causa mancipio denuo tradidisse, celeritate enim conjugendarum inter se actionum, unam actionem occultari *I.3. §. penult. ff. de Donat. int. vir. & uxor.* quæ ipsa dicitur Traditio facta brevis manus.

## §. XX.

Ex his jam incidenter potest colligi, quid sentiendum sit de nota inter JCtos controversia, an ad transferendum dominium necessaria sit traditio, & annon potius solus ad id sufficiat consensus. Nempe si citra autoritatem legum Romanarum rem intueamur, ita eam se habere existimo: Dominium est jus, rem in omnes legitimos usus convertendi, & alios ab eodem usu excludendi. Cum itaque dominium sit jus, & juri suo quilibet, prout voluerit, solo consensu suo in favorem alterius renunciare queat, sequitur, quod dominium ab uno in alterum transferri posse consensu mutuo, vere, & satis declarato; Quod & ipsum innuit *§. 43. f. de R. D.*

C

ubiq



ubi nempe dicitur: *Interdum etiam sine traditione nulla voluntas domini sufficit ad rem transferendam.* Si enim traditio, saltem interdum, a translatione dominii potest abesse, & solus ad hanc consensu sufficit, necessario sequitur, quod traditio non sit pars essentialis translationis dominii. Quia autem ex natura dominii omnis dominus habet jus, rem suam corporaliter possidendi, sequitur, quod is, qui jus illud, rem in omnes legitimos usus convertendi, & alios ab eodem usu excludendi, consensu suo in aliud transstulit, eo ipso tenetur, rei possessionem ei cedere. Iste actus, quo possessio rei, cuius dominium in alterum consensu mutuo translatum est, in eundem transfertur, dicitur traditio. Hinc sicut dominium & possessio differunt ut jus, & factum seu actualis juris illius usus; ita eadem ratione translatio dominii & traditio differunt ut pactum, & ejus executio. Ex quo patet, quod traditio in se considerata Jure Naturali non sit modus transferendi dominium, quia necessitas ejus ex dominio, in alterum, cui tradi res debet, consensu mutuo jam translatum fluit. Nimis traditio non dependet ex voluntate tradentis, uti debebat, si esset modus transferendi dominium, sed ex obligatione ejus, consensu mutuo jam antea contracta. Inde est, quod si dominium consensu meo semel translatum est in alterum, res statim, etiam traditione nondum facta, ad alterum pertineat, ita ut ego nullum circa eandem actum dominii amplius exercere possim, & ut periculum & commodum rei non ad me, sed ad novum illum dominum, etiam ante traditionem pertineat, ego vero solummodo custodiā, qualem alienis rebus praestare convenit, praestare obligatus sim, l.3. ff. de peric. & commod. rei vend. Unde sane luce meridiana clarius appetet, Jure Naturali dominium consensu, non demum traditione transferri, & traditionem itaque, uti

uti dictum, non esse modum transferendi dominium, sed potius modum transferendi possessionem rei, cuius dominium consensu jam antea translatum erat, quandoquidem dominium potest esse ante traditionem, tanquam jus ante aetualē illius usum.

## §. XXI.

Quod vero aliud placuerit Romanis, ita, ut dicerent, dominia rerum solis pactis, h. e. solo consensu mutuo non transferri, sed semper requiri traditionem vel veram vel fidiam, l. 20. C. de Pact. consensu vero jus solummodo ad rem, non autem jus in re acquiri, illud mere civile & legis positivæ est, ut bene agnovit GROTIUS de J. B. & P. Lib. 2. Cap. 6. §. 1. Cap. 8. §. 1. 25. 26. PUFENDORF. Lib. 4. Cap. 9. §. 7. TITIUS ad LAUTERB. Observat. 558. Fluebat enim id ex antiquo Quiritum Jure, quo ad translationem dominii, ita, ut jus in re inde nasceretur, mancipationis actus necessarius erat, ad quem corporalis rei praesentis traditio & apprehensio cum varia insuper solennitate requirebatur, ceu docui §. 15. 16. 17. Qualis actus cum & ad ipsam Rei Vindicationem de Jure Quiritum se extenderet, dum qui rem suam vellet persequi, cum adversario manum conserere, h.e. cum adversario manu rem prehendere debebat, uti pariter docui; factum est, ut si ager ex citionis causa ad aliquem pertineat, de Jure Romano non recte Rei Vindicatione agi possit, antequam (mancipio) traditus sit ager, tuncque possessio amissa sit. l. 50. pr. ff. de R. V. Etenim soli ei, qui Jure Civili & ex lege Quiritum, mancipatione nempe vel usucapione, dominium acquisierit, non item ei, qui tantum ut possessor in bonis rem haberet, Rei Vindicatione legibus positivis Romanis prodita est l. 1. §. 2. l. 23. pr. ff. Bod.

## §. XXII.

Quod porro communiter Doctores axiomata illud Juris

C 2

Quiri-

Quiritum, traditionibus, non consensu, dominia rerum transferri, pro regula Juris Naturalis acceperint, vid. VENN. ad §. 40. 43. Inst. de R. D. ratio duplex est: Prima, sinistra acceptio vocis Juris Gentium, quo encomio passim Romani Juris statores axioma illud celebrarunt, GROT. Lib. 2. Cap. 8. §. 1. 25. 26. altera, ignorantia antiquitatum Juris Romani, dum quomodo ex Jure Quiritum dominia rerum per mancipacionem transferri debuerint, non considerarunt, & adeo textus antiquorum JCtorum in Jure Civili hac de re occurrentes, historiae juris adminiculis destituti, male & imperite explicuerunt de traditione, qua naturaliter ii, qui dominia rerum consensu suo transflulerunt, earundem possessionem transferre postea obligati sunt. Cui quidem imperitiae ipse Justinianus Imperator, vel potius Tribonianus, ansam præbuit, dum differentiam antiquam inter traditionem nudam & mancipacionem, & adeo etiam inter res, quarum quis ex Jure Quiritum, mancipatione nempe, dominus est, & eas, quæ solummodo in bonis sunt possidentis, sustulit I. un. C. de Nud. Jur. Quirit. tollend. hoc saltem artificio usus, ut ubicunque nexu tradere, aut mancipio dare, in legibus antiquis legeretur, ibi dare, tradere, aut prestare poneret, ne videlicet animi juvenum, qui ad primam legum veniunt audientiam, Juris Quiritum mancipiique verbis perterriti, inutiles, si Diis placet, legis antique Decemviralis dispositiones acciperent, verba sunt Justiniani in dict. Lun. C. RÆVARD. ad LL. XII. Tabb. Cap. 16. vel potius, si verum tandem dicere licet, ne intelligerent juvenes, Tribonianum quidem abrogasse dict. I. un. C. de nud. Jur. Quirit. tollend. principia Juris prisci de alienatione per ritum mancipacionis facta, retentis tamen imperite conclusiobus prisci illius Juris de traditionis ad transferendum dominium essentialitate, omnibusque pene insuper Fictionibus

bus & ambagibus, quibus ante statum Monarchicum uti debabant magistratus, ut prisco illi juri suis constare videretur honoris, sua auctoritas; Quo factum, ut in conquarendis variis harum conclusionum ratiunculis, tanto conatu, non sine vario dissensu, desudent, ut revera conclusiones istae, detrusis a Triboniano priscis, ex quibus antea promanarant, principiis, nullo amplius principio nitantur.

## §. XXIII.

Alia Fictionum Juris exempla, quorum fundamenta sub tantis antiquitatum involucris haud delitescunt, brevioribus expendi poterunt, & eo clariorem hypothesi nostræ accentuant lucem. Sic a Magistratu Romano Jure Civili introducebatur, ut testamentum rescindi posset per querelam inofficiosi testamenti, qua nempe persona, quibus debetur legitima, si rite quidem, sed inique essent exheredatae, petere possent, ut rescisso testamento ab intestato succederent. Quia tamen sic vis fieri videri poterat legi XII. Tabb. *Paterfamilias uti legatus super familiæ pecunia ve sua, itajus eßo*, qua latissima patrifam, tribuebatur heredes instituendi potestas; Fictione in facto opus esse videbatur ad fallendam plebeculam, & ad autoritatem Juris introductæ illi actioni conciliandam; Nempe si quis querelam inofficiosi institueret, hoc cum colore, hac fictione uti jubebant, quasi non sanæ mentis testator fuisset, cum testamentum ordinaret, ne sani hominis testamentum contra autoritatem LL. XII. Tabb. impugnari hac actione videretur, pr. *J. de inoff. testam. l. 2. l. 5. §. 1. l. 17. §. 1. ff. Eod. l. 120. ff. de V. S. VINN. ad pr. J. de inoff. testam. n. 8. GEORG. BEYER. Delineat. Jur. Civil. ad ff. Eod. Tit. n. III.*

## §. XXIV.

Idem adhuc patet luculentius exemplo Actionum a Prætoribus contra Jus Civile introductarum, quarum quippe

novitatem Fictionibus subinde mitigare consueverunt.  
 Quamvis enim nec Prætoribus nec reliquis ante eos Prudentibus liberum regulariter esset, Actiones prout vellent constituere, sed ex LL. XII. Tabb. interpretando easdem componere, earundemque formulas præscribere tantum licet, l. 2. §. 6. ff. de O. J. Non tamen ideo intermisserunt Prætores, Jus suum honorarium etiam ad introducendum novum Jus novasque Actiones extendere, l. 7. §. 1. ff. de J. & J. servatis tamen subinde, uti dictum, per prudentiam aliquibus antiquitatis simulacris. Unde emanavit distinctio Juris Civilis & Prætorii seu honorarii, item Actionum civilium, quæ & legitimæ seu legis Actiones vocabantur, & Prætoriarum, quas præter leges Prætor, quodam saltē legum colore, prædiderat. l. 2. §. 12. ff. de O. J. §. 4. J. de Action. VINN. ad dict. §. 4. SAM. STRYCK. de Success. ab Inestat. Differat. 8. Cap. I.

## §. XXV.

Patet hoc v. g. exemplo Actionis Publiciana. Nempe prospexerat antea ex LL. XII. Tabb. Jus Flavianum veris rerum dominis de remedio aliquo dominium suum contra quemcunque possessorem persequendi, nimirum de Rei Vindicatione, quæ adeo erat Actio Legis seu civilis, & dabatur saltē Domino Quiritario, qui nempe vel a vero Domino mancipio rem acceperat, vel saltē si solum in bonis esset, eam usucuperat. Cum vero sic in casu, si res tantum in bonis esset possidentis, nec dum usucapta, & ab hoc amissa a tertio possideretur, Jure Civili non extaret Actio, qua vindicaretur, & ita tertius eam possidens cum damno bona fidei possessoris fieret locupletior; primus Publicius Prætor, eujus CICERO in Orat. pro Client. tanquam sibi coavi meminit, Actionem pro bona fidei possessore introduxit, quæ ab ipso Publiciana voca-

vocatur, qua fingere jubebatur bona fidei possessor, se rem, quam vere nondum usuciperat, usucipisse, ut sic quasi dominus contra tertium rem amissam persequi posset, & ita aliquo Dominii Quiritarii colore, mediante fictione in facto, apibus Juris prisci quoad formulam Actionis satisficeret videretur  
 §5. J. de Action. l.1. pr. & § 1. ff. de Public. in rem act. SCHILTER. Exercitat. 16. §. 64. 65. GEORG. BEYER. Delin. Jur. Civil. adff. de Publ. in rem act. ab init.

## §. XXVI.

Idem & eodem fine adhibitum fingendi artificium cernere licet in Actione Rescissoria, quæ datur ad rescindendam usucaptionem propter absentiam. Cum enim de Jure Civili indistincte & non attenra absentia alterutrius, usucapio procederet, & iniquum nihilominus videretur, necessariam justamque absentiam nocere absenti, permittebat Prætor contra Jus Civile, hac actione rem, pendente absentia usucaptam, petere, mediante hac fictione, ut petitor diceret, possessorum usu non cepisse, ut sic tegeretur Actionis hujus & Juri Civilis contrarietas, dum hac fictione supposita actor formula actionis consueta uti poterat. §. 6. J. de Action. l. 35. pr. in fin. ff. de O. & A. Sicut itaque in Actione Publicana dominium fingitur quæsitum, quod revera quæsitum non est, ita in Rescissoria fingitur rerentum, quod de Jure Civili revera est amissum. Similis fictio occurrit in Actione Pauliana seu Revocatoria, quam Paulus Prætor dabat creditoribus, in quorum fraudem aliquid a debitore alienatum fuerat, ad alienatum revocandum. Fingebatur enim, rem a Debitore traditam reo non fuisse, & ob id in bonis debitoris mansisse §. 7. J. de Action. qua fictione occurrebat injusto stricti juris rigori, quo actus hujusmodi dolosi rati esse jubebantur, §. 1. seqq. J. de Except. l. 5. C. de inutil. stipulat.

## §. XXVII.

## §. XXVII.

Ex horum itaque omnium exemplorum, quæ quippe potissimas Romani Juris Fictiones exhibent, convenientia sat palpabili colligere unusquisque poterit, hypothesin nostram de Fictionum Juris natura, quæ nec autoritate summorum JCtorum, uti ex ante dictis patet, destituitur, sat firmo niti tali. Quibus si jungas rationem turbidi Reipabl. Romanæ status, Patriciis nempe aristocratiam astu, plebe democratiam vi aperta & armis molientibus, nihil decesse puto, quod ad pariendum summum probabilitatis gradum conferre quicquam possit. Etenim ille ipse status turbidus fecit, ut potestatem legislatoriam plebs conjuncta vi tueri, magistratus autem, qui maximam partem ex Patriciis legebatur, astu & clanculum eandem surripere & usurpare mutua æmulatione contenderet. Hinc tanta Patriciorum in celanda legislatione sua solertia, & ex hac varia, juxta Fictiones Juris, ad hunc finem facientia remedia.

## §. XXVIII.

Erat inter hæc præcipue i. mutatio nominum, dum nova nomina imponebant rebus antiquis, de quibus novi quicquam, antiquis legibus absconum, statuere in republica moliebantur, ne sic legibus antiquis contradicere viderentur; sicut, quando Prætor hereditatem alicui addicere volebat, qui de Jure Civili heres esse non debebat, dicebat, se ei non hereditatem, sed Bonorum Possessionem tribuere, haredis interim inani elogio illi, quem lex ad hereditatem vocabat, reliquo. THOMAS. de Nev. Jurisprud. Ante - Justin. Lib. i. Cap. 7. Nev. 12. GEORG. BEYER. Delin. Jur. Civit. adff. Tit. de Orig. Jur. n. 73. Cum enim Jus Civile circa successiones saepe esset justo rigidius, Prætor autem heredem facere non posset, hereditates Bonorum Possessionis titulo a Prætoribus

ribus deferebantur, pr. J. de B. P. l. 2. ff. Eod. Unde Bonorum possessio nihil aliud est, quam hereditas novo nomine vestita, & autoritate Praetorum contra rationem stricti Juris delata, l. 138. ff. de V. S. l. 117. de R. J. l. 24. §. 1. ff. Famil. ercisc. l. 1. 2. ff. de possessor. hered. petit. BRUNNEM. ad L. 2. ff. de B. P. 2. nos eligit maxima pars in quod oportet ut auctoritate  
§. XXIX.

Pertinebat huc 2. remedium Restitutionis in integrum Prætoria. Etenim quia Romani verbis legum suarum, non attentis illarum rationibus, mordicus sape inhærebant, sape accidit, ut actus iniquissimi, ex rigore legum male intellectarum, qui rigor stricti Juris nomine veniebat, rati esse dicentur; Cui iniquitatia ita Prætor occurrebat, ut salvum quidem & illæsum suum stricto Juri relinqueret rigorem, & diceret, validum omnino ratumque stricto jure habendum esse hujusmodi actum, ne legum quantumvis male intellectarum autoritatem lædere videretur; Promittebat autem, se læso existo Juris stricti rigore restituturum in integrum. Sic licet v.g. conventio metu & vi injusta celebrata de Jure Naturali invalida sit, mala tamen & nimis universalis legis, quod promissa sint servanda, interpretatio fecit, ut stricto Jure promissor, dolo metuque ad promittendum inductus, obligatus omnino esse diceretur, §. 1. seqq. J. de Except. l. 21. §. 5. ff. Quod met. cauf. Prætor tamen rigore legis læso succurrebat per in integrum restitutionem, dum læso dabat actionem quod metus causa, actionem de dolo malo, qua rei amissæ restitutionem, imo hac non statim ad arbitrium judicis secuta, modo poenam modo interesse a reo consequi poterat l. 14. §. 1. 3. 4. ff. Quod met. cauf. l. 28. pr. ff. de dol. mal.

## §. XXX.

Eodem fundamento ntititur 3. juris agendi; Stricto Jure alicui competentis, per Exceptiones Prætorias elisio. Quia enim promissorem vi metuque injusto, vel dolo malo inductum; stricto Jure obligatum esse dicebant Romani, ut ex ante dictis apparet, eo ipso stipulatori actionem legis contra promissorem tribuere debebant, & tribuebant utique. Prætor autem, ut mederetur iniquitatibus inibi latenti, actionem quidem, quam stipulator sic intenderet, efficacem omnino esse, in Juris Civilis honorem profitebatur, iniquum tamen esse ajebat, promissorem condemnari, & ideo, ut actio stricto Jure quantumvis efficax impugnaretur & eluderetur, promissori subministrabat Exceptionem quod metus causa, dolimali, in factum, §. i. seqq. J. de Except. l. 30. ff. de V. O. l. 7. ff. de dol. mal. & met. except. L. 5. C. de inutil. stipul. Tandem ad eundem scopum spectabant actus imaginarii seu fictiti, qui Fictionibus Juris proxime accedunt, & ab his non nisi accidentaliter differunt, quorum ideo jam supra §. 18. aliqua adduxi exempla.

## §. XXXI.

Quod autem tam multa & varia, ad teste eludendum Jus Civile, Romani magistratus adhibuerint remedia, nuptuta Fictiones Juris, actus imaginarios seu fictiti, mutationem nominum, restitutionem in integrum, juris agendi per Exceptiones Prætorias elisionem, & si qui forte sunt alii, causa videtur esse partim magistratum subinde aliorum diversitas, siquidem annum solummodo erat Prætoris munus, & quilibet sub initium regiminis sui in Albo Prætoris, quomodo in qualibet causa jus esset dicturus, peculiari edicto proponebat; partim etiam ipsarum rerum diversitas, quarum quippe

quippe alia hunc, alia alium Jus Civile eludendi modum com-  
modius admittere videbatur.

## §. XXXII.

Ex tot itaque rerum Romanarum argumentis cum ab-  
unde elucescat Patrum dominatum & potestatem legisla-  
tiam ad se rapiendi libido, eorundemque in decipienda ple-  
be artificium, nemo nisi luscus non videt ex allatis circum-  
stantiis, verum hoc ipsum Fictionum Juris esse fundamen-  
tum. Omne enim a magistris introducendum Jus Ci-  
vile, per modum Commentarii ad leges populi, non propria  
autoritate, introduci debebat. I. 2. §. 5. 6. ff. de O. J. Absque  
hoc si fuisset, quid opus fuisset tanta magistratum solertia, in  
extorquenda qualicunque per fictiones suas actusque imagi-  
narios novi cum antiquo Jure convenientia? Quid opus fu-  
isset, ut dicerent, heredem Juris Civilis manere heredem, &  
tamen ex hereditate nihil accipere; sed Bonorum Possessio-  
rem, qui quidem heres non sit, contra heredem habere pos-  
sessoriam hereditatis petitionem? Quid opus fuisset, ut dice-  
rent, in negotio metu injusto & dolo celebrato promisso-  
rem stricto Jure teneri, & stipulatori salvam esse actionem  
legis, illi tamen se subventuros esse per beneficium restitu-  
onis in integrum, hujus autem actionem exceptionibus novi-  
ter inventis eludendam esse, si liberum illis fuisset, hisce ta-  
libus argutiis & ambagiis omissis, Jus hereditatum, conven-  
tionum, legis actionum &c. corriger, & quidlibet pro lubitu  
statuere?

## §. XXXIII.

Objici equidem fortasse posset, non omnes Juris Ficti-  
ones ex Jure Civili seu interpretatione Prudentum fuisse ex-  
ortas, cum in ipsis LL. XII. Tabb. earum appareant rudera,

D 2

ubi

ubi adeo ea, quæ de Fictionum origine differni, locum habere nequeant; sicut v. g. emancipatio, quæ per antiquam legis observationem procedere dicitur, § 6. *J. Quib. mod. J. P. P. S.* quæque per imaginarias venditiones & intercedentes manumissiones celebrabatur, ipsa lege XII. Tabb. expressis verbis contineri videtur, quæ ita habent: *Patrei endo filio vita necisque potestas estod. Terque im venomdarier jus estod. Si ter filiom pater venunduit, filius a patre liber estod.* Ad quod respondeo, primo verba legis haud obscure innuere, non de imaginaria, sed vera venditione eam loqui, eumque ejus sensum esse, si pater filium vendiderit, & dominus hunc suum servum denuo manumiserit, eum hac manumissione haud fore sui juris, sed in potestatem patris vendoris recarsum; nec aliud juris fore, si vel secunda vice filium eundem vendorit pater, isque denuo a domino fuerit manumissus; tertia autem tandem vice venditum & denuo manumissum, a potestate patri liberum futurum. Hac deinde lege, deficiente in ipsis LL. XII, Tabb. alio directo emancipationis Jure, emancipationis solennitatem per trinam venditionem imaginariam seu fictitiam, probabiliter demum fundavit Prudentum interpretatio. Et sic hoc exemplum hypothesin nostram plane confirmat, tantum abest, ut ei obstatre possit.

## §. XXXIII.

Deinde si vel maxime istam legem de ipso emancipationis per trinam venditionem imaginariam ritu interpretandam esse velis, uti facit RÆVARDUS ad LL. XII. *Tabb. Cap. 3.* qui jus illud patriæ potestatis, quo impune filios vendere & occidere patri licebat, jam ante exactos reges desuisse contendit: dubium tamen non est, istam legem, si ita eam intel-

intelligi debere vel maxime evinceretur , non in decem prioribus tabulis , quibus leges ex Gracia allatae continebantur , sed in duarum posteriorum una , quae decem illarum priorum tabularum supplementum erant , contentam fuisse . Nam cum duas istae posteriores tabulae non leges , jussu populi ex Gracia allatas , continerent , sed harum ex legibus antiquis regiis , aliisque consuetudinibus domesticis supplementum , & vero jus illud patriæ potestatis , liberos occidendi & vendendi , ex Jure Civili Papiriano seu legibus regiis originem traxerit , quod satis notum est ex historia antiqua ; duobium non est , legem istam de tria filii venditione , uti dictum , in duarum posteriorum tabularum altera contentam fuisse . Has itaque duas tabulas cum procul dubio in fraudem plebis adjicere molirentur Decemviri , eo usi praetextu , quasi decem prioribus tabulis , suffragio populi jam antea confirmatis , quicquam deesset ; ut eo facilius autoritatem ipsis conciliarent , mediantibus actibus imaginariis & fictitiis , aliqua legum morumque veterum supereesse vestigia voluerunt ; quod & ipsum docet RÆVARDUS loc. cit. Atque adeo , si maxime eo sensu lex allata explicetur , ex dicta objectione nil amplius consequetur , quam quod ipsi jam Decemviri in ipsa Legum XII. Tabularum concinnatione , illo astu , quem in Fictionibus Juris , aliisque hujuscemodi artificiis , latere docui , ad teatrum exsequenda sua contra populi libertatem molimina , haud caruerint .

## §. XXXIV.

Cæterum an æque justæ , ac astute fecerint magistratus Romani , dum hæc talia contra libertatem populi patrarunt , alia quæstio est , quæ neganda videtur non immerito . Nam ut

D 3

vulgo

vulgo dicant, Edicta Prætorum, aliaque a magistratibus sub specie & prætextu interpretationis statuta Jura, singularem præ se tulisse æquitatem, & ob id populo acceptissima, tacito illius consensu Juris obtinuisse autoritatem: Male tamen ab æquitate intrinseca Juris honorarii ad justitiam facti magistratum, usurpatæ nimirum potestatis legislatoriaæ, concluderetur. Nam potest etiam tyrannus & invasor æquissima quæque præcipere, quæ tamen æquitas haud infert ipsius invasionis tyrannicæ justitiam: Ut taceam, multa eorum præcepta, loco æquitatis tantopere celebratæ, nil nisi arcana dominatus oligarchici, privatamque Patriciorum utilitatem redolere; Quandoquidem HOTTONANNUS de LL. Pop. Rom. ad L. Cornel. de Jurisdict. Prætor. refert: C. Cornelium, Tribunum plebis dictam Legem Corneliam multis quidem invitit, et si nemore repugnare ausus fuerit, tulisse, qua cautum fuerit, ut Prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent; Que res tum gratiam ambitionis Prætoribus, qui varie jus dicere assueti fuerint, susciperent. Quæ quidem verba egregie explicari possunt ex loco DION. CASSII, in Histor. Roman. Lib. 36. ubi ait: Prætores solebant Jura ea, secundum quæ essent judicaturi, scripta edere. Neque enim Prætores id jus, quod ad contractus dirigendos positum erat, observabant, neque id unquam fecerant, neque Juri scripto steterant, sed se per numero ea variaverant, crebroque per gratiam & odium certorum hominum, veluti fieri assulet, multa gerebantur. Igitur rogationem tulit (C. Cornelius, Tribunus pl.) ut & statim ab initio Prætores predicerent, quo jure essent usuri, & deinde nequaquam ab eo deflececerent. Vide & eadem prope differentem WESEM BEC. Paratitl. ad Tit. ff. de Offic. Prætor. Quod autem consensum populi tacitum, quo placita magistratum, per modum interpre-

pretationis ipsi insinuata; non modicam Juris autoritatem  
consecuta esse dicuntur, attinet, sane consensus technis & ca-  
villationibus elicitus non sufficit ad excusandam intentio-  
nem, qua Patres cum populo versati sunt; Ut taceam seces-  
siones & motus intestinos, quibus plebs subinde, mala Pa-  
trium artificia olfaciens, diffensem potius suum testata, & do-  
minatum oligarchicum excutere annisa est.

## §. XXXV.

Ex quibus jam patet, sicut alii varii, quos enarravi, Juris  
Romani circuitus & ambages, ita & Fictiones Juris, ratione  
& usu apud Romanos nequamquam quidem caruisse, cum in  
theoria tum præcipue in praxi formularia, uti appareat ex §.  
25. & 26. quamvis utique in qua & exitialis Reipublica Ro-  
mana ejusque tranquillitati & integratati illa ratio fuerit. Un-  
de facile responderi potest Dn. TITIO, quando in *Disputat.*  
*de Fictionum Romanarum natura & inconcinnitate* §. 7. asse-  
rit: *Nullam necessitatem postulare, ut imperans sub fictione le-*  
*gem proponat, sed mere ultro fictiones adhiberi, cum posse*  
*princeps sine ullo commento perspicue voluntatem suam subdivi-*  
*tis patescere.* Quamvis enim hoc utique verissimum sit  
in republica regulari & quieta, in qua nemo de potestate  
principis legislatoria dubitat: Quilibet tamen ex ante di-  
cis facile colliget, ad statum magistratum Romanorum id  
plane non quadrare. *Vid. §. 8.* His enim cum solummodo  
concellum esset jus, leges suffragio populi introductas inter-  
pretandi, & secundum easdem compositis actionibus in fo-  
ro jus dicendi l. 2. §. 5. 6. 10. ff. de O. J. necesse omnino habe-  
bant ad exequenda sua contra libertatem populi molimina,  
ut speciem interpretationis qualiscunque novis suis placitis  
indue-

induerent, & ad id hujuscemodi sophistificationibus, quales in  
præcedentibus enumeravi, & inter quas Fictiones non ulti-  
mum locum occupant, uterentur.

## §. XXXVI.

Unde mirari nemo deberet, cum sic in ipso Juris Romani  
Corpo, inter medias leges sapientissimas, Artis leges ex ra-  
tionibus Politicis interpretandi interspersa reperiantur se-  
mina, adeo fœcundum inde exitisse legulejorum proven-  
tum, qui ex eo, quod JCti Romani, per supra dicta, ex qualis-  
cunque ratione status fecerunt, occasionem postea arripue-  
runt, artes suas exercendi. Nam cum ars leguleja potissimum  
nitatur interpretatione legum sophistica, artificium  
autem Leges populi, peculiari & sibi propria hermenia, ex  
ratione status interpretandi, Jurisprudentes Romani maxi-  
mopere sibi habuerint commendatum, ex quorum deinde  
scriptis maximam partem Juris nostri Corpus compilatum  
est; arripuerunt inde Leguleji occasionem, articia sua, stul-  
to abusu, Juris Civilis autoritate subinde roborandi. Sane  
Seneca, Sophistarum in Philosophia stultitiam daturus de-  
pexam, qua nempe varias sophistice intricatas quæstiuncu-  
las primo proponunt, easdemque dein pari arte denuo elu-  
dunt, illud eorum artificium comparat cum hoc ipso legule-  
jo JCtorum artificio, Juris nempe stricti subtilitates primo  
largiter & severè proponendi, easque dein cavillatorie de-  
novo eludendi. *Quid aliud, inquit, agitis, cum eum, quem in-  
terrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula ce-  
tidisse videatur, & quemadmodum illum Prætor, sic hunc in  
integrum restituat Philosophia? Quantum potes, mi Lucili,*  
*reduc te ab istis Exceptionibus & præscriptionibus Philosopho-  
rum.*

rum. Aperta decent & simplicia bonitatem. Etiam si multum supereret etatis, parce jam dispensandum erat, ut sufficeret necessariis. Nunc que dementia est, si per vacua discere in tanta temporis egestate? SENECA Epist. 48. Sane in eodem comparationis tertio, quo Seneca pueriles Sophistarum subtilitates, & subsequentes velut ex tripode earum solutiones, cum vanis Juris stricti & formularii subtilitatibus, earumque elusionibus, suo jamjam aeo comparat, in eodem, inquam, tertio, ordine inverso, has cum illis comparari nostro multo magis tempore posse, nemo facile dubitabit, eandemque quam Seneca ad Lucilium suum subjungit epicrisin nostris maximo opere esse commendandam, ut axum suum me-tiantur, illiusque brevitatem subtilitatum, quae in foris nostris sunt inutiles, abusu absumere desinant. *Disputationes enim istae*, uti ulterius ait Seneca l. c. *utinam tantum non prodeffent!* Nocent plane, comminuantque & debilitant bonam in-dolem in istas argutias conjectam. Vel si quis forte sententiam Senecæ, hominis nempe Philosophi, fastidiat, audiat quæso CICERONEM, Juris domestici procul dubio peritisimum, causarumque in foro Romano Oratorem facundissimum, qui citra assimilationem, plane & proprie, suorum artificia Collegarum his mactat elogiis: *Hec loquitur de actibus illis imaginariis seu fictitiis circa vindicationes, quos §. 18. ex eodem Ciceronis loco recensui*) *jam tum apud illos barbatos ridicula, credo, videbantur, homines, cum recte atque in loco constitissent, juberi abire, ut unde abiissent, eodem statim redirent.* Qua dum erant occulta (cum nempe ad-huc essent in mysteriis Pontificum l. 2. §. 6. in fin. ff. de O. J.) necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: *Potesta vero per vulgata* (cum nempe scriba quidam, Cneus Flavius, my-

steria illa, Appio Claudio clanculum surrepta, populo evul-  
gasset 1.2. §. 7. ff. Eod.) atque in manibus jactata & excusiva,  
inanissima prudentie reperta sunt, fraudis autem & stultitiae  
plenissima. Nam cum permulta proclare legibus esse con-  
stituta, ea Jure Consulorum ingenii pleraque corrupta ac de-  
pravata sunt. Itaque dignitas in ista scientia consularis nun-  
quam fuit, qua tota ex rebus factis commentariisque constaret  
¶ CICERO pro MURENA.

## §. XXXVII.

Illud jam itaque ex dictis claret, utile quidem esse, &  
ad recte interpretandum Jus Romanum plane necessarium,  
vera Fictionum illius Juris fundamenta, usumque antiquum,  
historice agnoscere, ut nempe scias, cur non absque fictio-  
num ambagibus & imperari & agi in foro Romano potue-  
rit. Ast æque clare etiam ex iisdem antea allatis pater, ho-  
cconcilatisque veris justitia & prudentia principiis, ex fig-  
mentis potius Romanorum deducere leges velle, valde in-  
sulfum esse; cum a parte Imperantis otiosum & supervaca-  
neum foret, fictione demum aliqua, ad speciem Interpretationis  
composita, legibus ferendis autoritatem conciliare  
velle; magistratibus autem & JCtis, quibus quippe parendi  
gloria relicta est, hujusmodi cavillationibus voluntatem Im-  
perantis eludere haud licet. Unde non sinerisu quis legit in  
Introitu Dissertationis de Fictionibus, sub Presidio Dr. SIBRAN-  
DI habite querelam, qua autor illius opusculi dolet, se tant  
pancos inter eos, qui agrum Juris nostri coluerint, invenisse, qui  
singendo animum condigne exercere voluerint.

## §. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Etenim quod valde futilis sit labor, ultra *historicam Fictionum Juris cognitionem*, qua nempe ex astutia iis usi esse intelliguntur proceres Romani, idem artificium hodienum dogmatice usurpare, atque adeo fingendo animum amplius exercere, ex sequente claret demonstratione: Omnes bona leges humanæ necessario sunt veritates morales, quæ ante quam promulgentur subditis, ut hi inde obligentur, a legislatoribus inveniuntur & concipiuntur, permodum conclusum, ex principiis *Juris Naturalis & Prudentiae Civilis*: Legum autem civilium sive humanarum formam postea induunt dictæ veritates morales, si is, qui in Republ. imperat, obligationis civilis robore eas in republica sua muniat. Ergo quæ leges non solum velit memoria tenere, sed & scire & solide intelligere l. 17. ff. de LL. necessario eas tanquam veritates morales, ex supra memoratis principiis suis, *Juris* nempe *Naturalis & Prudentiae Civilis*, intelligere debet, siquidem quod in hoc ipso veræ *Jurisprudentiae* natura consistat, fusius demonstravit *Dn. PRÆSES in Disput. de Rationibus Legum investigandis Cap. 2.* Si itaque omnium Legum, sive quidem considerentur a parte Legislatoris, qui eas tulit, sive a parte JCTorum, qui eas interpretantur, verum fundamentum est *Jus Naturæ & Prudentia Civilis*, & vero omnia tum *Juris Naturalis* tum *Prudentiae Civilis* dictamina, tanquam *veritates* ex principiis *veris* fluunt; sequitur, quod omnia in universum legum principia genuina necessario debant esse veritates, & hinc iterum, quod ex *Fictionibus inutilibus* intelligendas leges dogmatically proponere velle, necessario nihil aliud sit, quam vera *Jurisprudentiae* principia & fundamenta supprimere, & ad perspicendas veras & naturales legum rationes mentes & oculos discentium occidere.

## §. XXXIX.

Si forte objicias, fictiones tamen nil nocere, & dummodo v. g. scias, captum, quando ex captivitate revertitur, pristina jura recuperare, nihil interesse, an ex fictione Postlimii, an ex quacunque vera ratione illam recuperationem deducas; Respondeo, falsum est, deductionem legum ex fictionibus non nocere. Noxium enim utique est, vera & naturalia principia ultro & nisi Legislatoris expressa vel tacita voluntas exposcat, deserere, ut ex fragmentis eas potius deducas, quandoquidem sic solidus legum conceptus, solida interpretatione non parum impeditur. Nam cum principia Juris Naturalis & Prudentiae, communia sint & universalissima, ad cuiusvis reipublicae statum facile aptanda, principia vero illa specialia, quibus inducti ex Fictionibus hodie inutilibus leges statui turbido fuerint propria, eoque ipso mere particularia; quivis facile judicabit, noxium esse, vera Jurisprudentiae ambitum & integritatem ex specialissimis status Reipublicae Romanæ rationibus, ad nostrarum Rerum publicarum statum male quadrantibus, metiri malle, quam ex communibus Justitia & prudentiae Civilis principiis, quæ nempe ad particularem unius Reipubl. Status rationem eamque sapisuscule non satis sanam, non adeo alligata sunt. Idem agnovisse quadrantem ipse noster TRIBONIANUS videtur in §. 3. Proem. Institut, ubi ita Institutiones suas concinnare se debuisse proficit, ut liceat prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab Imperiali splendore appetere.

## §. XL.

Exinde, quod hæc omnia non semper, uti debuerunt, considerarunt Jcti, accidit, ut multi eorum antiquas illas fabulas,

las, obsoleta puta Status Romani principia, in tradendis legum rationibus subinde retinuerint, posthabit, uti dictum, iustitiae & prudentiae universalis principiis. Sic v. g. cum duo saltē in Jure Civili Romano reperirentur fontes obligationum personalium, contractus nempe & delictum, & vero ex quitas ususque quotidianus non pauca exhiberet exempla obligationum personalium, quae nec ex contractu, nec ex delicto substantiam capere intelligebantur, qualia erant Negotiorum Gestio, Communio incidentis &c. ad fingendi artificium recurrebant Icti Romani, fingeabant enim, in hisce talibus negotiis consensum & contractum intervenisse, ut mediante factō illo consensu ad alterutrum ex adductis obligationis personalis fundamentis civilibus officia Negotiorum Gestionis, Communionis &c. reducere possent, quo adeo sueta Actio-  
num personalium formula ad dicta negotia quadrarent; unde quasi Contractuum in foro Romano inventum originem traxit pr. §§. seqq. J. de Oblig. que quasi ex Contr. nasc. quod adeo inventum utique in foro Romano usu suo non destituiebatur. Hodie vero cum nulla hujusmodi necessitas formularia amplius nos vexet, quae postulet, ut inadæquata illi Juris Civilis antiqui divisioni, qua nempe omnes obligationes personales vel ex contractu vel ex delicto nasci dicuntur, superstitiosius inhæreamus, non opus amplius habemus, qualis cunque contractus commentum amplius in subsidium vocare ad demonstranda, harum obligationum fundamenta sed cum introductis hisce quasi contractibus nostro arbitratu carere nequeamus, satius est, ex ipsis exequitatis fontibus obligationes illas deducere, quae quippe aequitate suadente nemo cum alterius damno & laſione debet fieri locupletior, licet nec contractus proprie sic dictus intervenerit nec delictum; Utut historice, uti antea

dictum, in materia quasi contractuum de Consensu Romanorum ficto, ejusque fictionis in Processu Formulario usu, agi utique possit.

§. XLI.

Qyoniam e contrario plurimi hodiernorum JCTorum, ultra civilem illam fictionum Romanarum rationem, artificium fingendi, per se, tanquam aliquod leges interpretandi principium considerarunt, inde fictionum subinde novarum, quarum nempe Romani ne quidem meminerunt, excogitandarum ortum cacoëthes est, ut si qua v. g. in Jure Romano occurrat vocula, quæ fictionis suspicionem movere ipsis poruerit, vel sicubi se obtulerit forte tropus, ut eo comtior & magis arguta esset oratio adhibitus, talem locum statim, velut ex insidiis adoriantur, & macilentam fictionem inde exorqueant. TITIUS *Dissert. de Fictione*. § I. Qualium vocalium grandem indicem JO. SIBRANDUS in sexpius citata *Dissertatione Class. 4* consarcinavit. Et ALTESERA, qui septem Volumina seu Tractatus de Fictionibus Juris scripsit, in Epist. Dedicat. Tractat. 6, & 7, ad continuandum hunc laborem strenue hortatur: *Totum Corpus Juris*, inquiens, maxime Digestorum, Fictionibus ut cælum stellulis micat, & ut in cælo recentiores Astrologi nova sidera se observasse gloriantur, forte in aliqua laude erit, quam plurimas Fictiones, que in legum disceribus latebant, annotasse. Cui quidem non inficete reponit TITIUS in fine Dissertationis sue: At ego astrologum hujusmodi Juridicum, qui subinde novas Fictionum stellulas se observaturus, non magis esse de Jurisprudentia meriturum arbitror, quam eum, qui magna sollicitudine sit inventus.

stigaturus, quoties literæ elementarie in Corpore Juris occur-  
rant. Turpe est difficiles habere nugas, & stultus labor est in-  
spectiarum. Mihi sane ii, qui hoc modo ex vocabulis legum  
argutantes, exsculptis pluribus indies Fictionum exemplis,  
Jurisprudentiae augere se posse incrementa putant, perinde  
facere videntur, ac si quis forte, v. g. fortitudinem Mezen-  
tii ducis apud VIRGILIIUM AENEID. Lib. 10. ita descriptam  
legens:

*Impastus stabula alta leo CEU sepe peragrans,  
(Swadet enim vesana fames) si forte fugacem  
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum,  
Gaudet bians immane, comasque arrexit, & baret  
Visceribus super accumbens, lavat improbateter  
Oræ crux:*

*Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes,  
putare vellet, doctrina Politica in capite de fortitudine bellii-  
ca non melius posse consuli, quam si dux belli fingere ju-  
beatur, se leonem, hostes vero fugaces capreas surgentes-  
que in cornua cervos esse; imo erederet, VIRGILIIUM in  
verbis allegatis Fictionem hanc Politicam, per particulam  
ceu, vere induxisse, & in non minima laude futurum esse, si  
quis in plurimum hujusmodi fictionum stellulis in scriptis mo-  
ralibus detegendis alacreim se exhibuerit.*

### §. XLII.

Ex quibus simul apparet, quid sentiendum sit de illa  
controversia, an Fictionum usus etiam se exserat in Jure Di-  
vino tum Naturali, tum Positivo? Quamvis enim, quoad  
Jus Divinum Positivum, extra omnem dubitationis aleam  
positum

positum esse existimet SIBRANDUS in *Dissert. Class. 2.* tum in Veteri, tum in Novo Testamento Fictiones Juris occurrere, sicuti v. g. Gen. 2. & 3. Adam & Eva singantur una caro, Principes insuper & reges passim singantur Dii, nec non Apocal. 14. vidua libidinosa mortua esse singatur &c. Quilibet tamen ex iis, quæ § præcedente dicta sunt, responsionem ad hæc putativa Fictionum Juris Divini exempla, facile poterit depromere, ex totius autem hujus Dissertationis nostra contextu insuper judicare, Fictiones Juris, tanquam artificium interpretandi, Juri Civili sive Romano usu suo proprium, ad leges a summo Numinе revelatas, quæ nempe æternæ veritates sunt, citra insignem absurditatem applicari haud posse.

## §. XLIII.

Quod autem concernit Jus Divinum Naturale, considerandum est, omnes Juris Naturalis leges, seu officia, sub notione veri hominibus innotescere, nec eas leges aliter obligare hominem interne posse, quam mediante solidi conceptu absolute necessitatis, qua respectu voluntatis divinum veritatibus istis moralibus, quas leges naturales appellamus, conjuncta esse cognoscitur. Adeoque natura ac indeoles Juris Naturalis a singendi artificio plane penitus ab horrere censenda est. Unde mirari quis forte posset, celeberrimum quondam nostrum TITIUM, in saepius citata Dissertatione §. 34. 35. admisisse, Juris Naturalis precepta Fictionibus explicari posse, posse enim forte aliquem obligationem pupilli ad obsequium tutori prestandum, ex fictione, quasi tutor pater sit, pupillus autem filius, deducere. At credo ego, ita

fere intelligendum esse Dn. TITIUM, non quod quis  
Jus Naturale per fictiones tractare moraliter possit, sed quod  
possit utique e modo, si pulchrum id reputaverit, quo pau-  
lo post ait, quod *ineptire sit juris Gentium*, quandoquidem  
statim subjungit: *Jus Naturæ fictionibus bene carere posse, ne-*  
*que illum magis opere de eodem esse meritorum, qui fictionibus*  
*præcepta ejus sit involuturus.* Sane enim cum obligatio  
Juris Naturalis, uti dixi, in interna convictione fundetur, qua  
de veritate & necessitate legum morali certi sumus, fictioni-  
bus autem loco verarum rationum suppositis, nemo sapiens  
convincatur; necessario sequitur, quod introductis in lo-  
cum Principii Juris Naturæ, fictionibus, non possit non ve-  
rus & internus obligationis naturalis in animo nostro sensus,  
& adeo ipsa Juris Naturalis essentia corruere. Unde certum  
est, Jus Naturæ fictiones neurquam admittere. Omnis fa-  
ne Eruditionis Disciplina, quanta quanta est, non nisi veritati-  
bus natura sua absolvitur; Fictiones inducere non nisi homi-  
num sophisticatio potest, aut deficiens directa legum duri-  
tatem tollendi potestas, aut æquitas subveniendi necessitatem  
imponens e. g. in actione publiciana &c.

## §. XLIV.

Hæc jam pro ratione instituti mei, quantum quidem per  
virium tenuitatem licuit, deduxisse, sufficere posse puto. Et-  
cim ex iis, quæ dixi, Fictionum Juris Romani tum usus an-  
tiquus, tum non-usus hodiernus in plerisque partibus satis  
abunde credo elucescit, qui ipse nempe erat scopus mihi pro-  
positus. Romani Fictionibus suis cum in theoria Juris, ad  
inducendam qualcmcunque Juris sui civilis cum legibus po-

F

pul

puli convenientiam, tum in praxi Processus sui Formularii, ne novas subinde veteribus contrarias Actionum formulas edere cogerentur, satis commode utebantur. Hodie cestante in plerisque casibus ratione Fictionum a Romanis introductarum, eaque tum theoretica, quod ostendi §. 37. tum etiam practica, quia nempe Processus antiquus Romanorum formularius in Germania nunquam fuit in usu; procul dubio etiam cessat, vel saltem cessare debet, Fictionum inutilium usus, tum dogmatico-theoreticus, tum practicus; nisi nempe forte cautela loco & per prudentiam fingere cum fingentibus consultum quandoque esse judicaverit prudens Advocatus, ne forte, uti ait DN. TITIUS *ad Lauterbach. Obs. 298.* a Judice seculi Flaviani parum gratam alias audiat sententiam; qui forte usus aliquis Fictionum istarum practicus, ut ut mere accidentalis, per exceptionem vocari posset.

## §. XLV.

Ceterum ob eandem rationem, ex qua per haec tenus dicta Fictionum non-usus hodiernus adstruitur, si concludere Lector vellet, ipsum TRIBONIANUM in concinnando Corpore Juris fingendi artificio supersedere potuisse, non sane ego refragarer. Nam quoad usum theoreticum non opus habuit Justinianus, Imperator nempe monarcha, ut deferta potestate, qua utique pollebat, legislatoria, mediantibus fictionibus ad Oligarchica illa tecete imperandi articia recurreret; & quoad usum practicum in processu formulario positum, is sane jam dudum ante Justiniani tempora exoleverat *L. 1. 2. C. de Form. & Imperat. Act. Subl.* Unde cestan-

cessante Fictionum Juris ratione & theoretica & practica,  
cessare in plerisque partibus poterat earundem usus, salvo  
interim Jure, quod mediantibus fictionibus propone-  
batur,

§. XLVI.

Quæ hic usque de Fictionum Romanarum non usu  
dicta sunt, eo tendunt, ut evincant Legislatores iis carere  
potuisse, si voluissent, nostro quidem arbitratu, interim  
omnem earum usum in foro haud desicere, facile largi-  
mur, idque experientiam docere non inficiamur, cui  
hac in parte nullum præjudicium inferre  
cupimus.

T A N T U M.



¶ (o) ¶

NOBILISSIMO ATQUE  
DOCTISSIMO  
DOMINO  
RESPONDENTI

S. P. D.

PRÆSES.



Uam Dissertatio-  
ne bac , uti sub  
initium ejus ais,  
studiis Tuis A-  
cademicis im-  
ponis coroni-  
dem, non sine grata delectatione,  
tan-

tanquam signum & ornamentum ædificii quasi cuiusdam solide extructi atque affabre absoluti, conspiciendam præbes. Illud enim docta, quia sic finem studiorum Tuorum ornas, coronis præcipuum habet præ corone, qua trabibus in ædificii straturam erectis finem laborum suorum ostentare solent fabri lignarii, quod cum alias a coronide & similibus ornamentiis externis ad concinnam vel inconcinnam ipsarum ædium structuram concludere haud liceat, Tu contra hoc ipso, quo finem studiorum

Tuorum

Tuorum coronas, ornamento, in ipsum  
Eruditionis Tuæ fundamentum, par-  
tiumque ejus concinne inter se cohæ-  
rentium structuram satis profundum  
peritorum oculis aperias conspectum;  
quandoquidem in hac Dissertatione  
instar aliquid aut exemplar exhibet  
Eruditionis Juridicæ ex Philoso-  
phiæ & Historiæ fundamentis solide  
pariter & decore exsurgentis. Mi-  
hi jam ergo nil amplius restat, quam  
ut laboribus Tuis Academicis cum  
laude absolutis gratulabundus ap-  
plaudam, & cordicitus voveam, ut  
quem

quem *Lipsia* egregius ornatum dotibus dimittit, fausto omine, sibi postea profuturum, Sedinum Tuum excipiatur, familiæ suæ decus, patriæque futurum ornamentum. Vale! & me amare perge. Dab. *Lipsiæ*, die 4.  
Novembr. 1715.

25 (69) 17

hoch zu mir zu zugeschrieben und  
durchaus nicht von mir selbst geschrieben.  
Von mir ist es nur der Name und  
die handschriftliche Unterschrift auf dem  
Titelblatt des Buches, das ich mir  
selbst gekauft habe.

**ULB Halle**  
007 762 003

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



1715,17  
1081

TRATATIO JURIDICA  
DE  
TIONUM  
S ROMANI  
ANTIQUO,  
SU HODIERNO,  
QUAM  
TORUM LIPSIENSIV ORDINIS  
CONSENSU  
DITORIO JCTORUM  
II. NOVEMBR. MDCCXV.  
PRÆSIDE  
USTO FRIDERICO  
ÜLLERO,  
S. ET JUR. UTR. DOCT.  
AUDITORUM DISQUISITIONI  
SUBMITTIT  
TOR & RESPONDENS  
HENR. LIEBEHERR,  
LÆO-SEGIN. POMERAN.  
LIPSIAE,  
ANNO TITIANO.

